

## CONCIO VII.

pis sui Luciferi interfuisse funeri Luth. Refert Tilman. Bredenbach. collat. sacrarum, lib. VII. cap. XXXIX. Adfuit etiam ingens turma crociantium corvorum funeri supervolitans, foetido supra modum, licet medio frigore et stanneo loculo corpus nescium esset: nimur illi muscam Lutheru. Dcere, et sicut Pictavienses ac Turonenses pro corpore Sancti Martini, ita corvi isti ac diaboli potius pro corpore Lutheri litigant. Videant igitur Lutherani, ne lumen eorum sint tenebrae. Neque dicant doctrinam ejus bonam esse: nam et ipsa spurca. Et nonne Dominus dixit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos?* His tamen susque deque habitis Lutherani audent eum in publicis concessionibus comparare cum S. Martino: et diem ei festum statuere in fastis proxime post Sanctum Martinum. O cæca impudentia!

## CONCIO VII.

## ANSER BONI CHRISTIANI TYPUS.

I. Christianus sit catholicus. — II. Fugiat peccata. — III. Vitam ducat asperam. — IV. Refrænet linguas. — V. Vigilet contra dæmonem. — VI. Diligat proximum. — VII. Sit pius et devotus.

## THEMA.

*Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.* Luc. XI.

Erit nonnemo hodie, qui existimabit sese Martinalia perbellè celebrasse, si præpinguem anserem Sancto Martino immolet, et in ventre suo sepeliat, si lautori in convivio bibat, vivat hilarius, crastina vero die in multam lucem stertat. Sed heus tu bone vir! *Vide ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.* Ego enim fateor, nondum me videre, quam bene hac ratione colatur iste sanctus. Quid enim anseri cum Martino? Aut Martino cum ansere. Ergo in tota ejus vita nullum anserem invenio, qui saginare queat ventrem. Sed si vultis scire, alius est anser Sancto Martino debitus, qui nimur pascit mentem. Hunc forte nostri maiores hoc die comedenterunt, cum vitam Sancti Martini legerunt, et inde collegerunt, qualis anser fuerit hic sanctus, et qualis esse debeat quivis Christianus. Atque hic est anser, quem ego, auditores, vobis proponam, ut dum ventres vestri inhiant anseri carneo, mens vestra non destituatur ansere spirituali: mentem itaque parate, non dentem.

I. Christianum oportet esse catholicum seu Romanum Ecclesiæ addictum, ejusque fidem non te-

nere modo sed et defendere, ab eaque fidei dogmata petere. Ita video etiam anseres Romanæ urbi addictos: nam imprimitis Romanam curiam seu Capitolium suo clangore defenderunt contra Gallos, dum canes ea nocte omnes conticescerent, Plin. lib. X. cap. XXII. rursum aliquando anseres e Gallia a Morinis extremis Ambianorum populis Romam usque pedibus venerunt, ut testatur Plin. ibidem. Ergo qui Christianus verus appellari vult, fidem suam Romæ querat, et Romanam sedem ac fidem vocibus, quibus potest acerrimis defendat. Audi S. Irenæum, lib. III. cap. III. « Ad hanc, inquit, Ecclesiam (de Roma loquitur) propter potentiorum principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab apostolis traditio. » Unde apud veteres non solum orthodoxos, sed etiam hæreticos, Romanum semper erat, idem quod Catholicum: *Si est catholicus, est et Romanus*, scribit Ricimer, Gotthus Arianus et Ligures. Hinc etiam multi principes, reges et reginæ, omnique ex orbe fideles Romam magnis itineribus et impendiis profecti sunt, ut arcem reipub. christianæ, et Petri sedem ac limina apostolorum viserent. Inter eos etiam S. Martinus Roman venit, obviatus ibi S. Hilario acerimo fidei catholicæ propugnatori et magistro suo. Ad hanc Ecclesiam, id est, Romanam S. Martinus adhuc puer invitis parentibus confugit eamque contra Arianos strenue defendit. Horum igitur exemplo et nos eamus Romanam, per fidei professionem, quemadmodum ivit Tobias: *Adoratum in Jerusalem, cæteris abeuntibus ad vitulos aureos*, Tob. I. Eant illi in Bohemiam ad Hussium; alii in Helvetiam ad Zuinglium; alii in SAXONIAM ad Lutherum; alii in Galliam ad Calvinum et similes vitulos nuper primum editos.

II. Bonus Christianus fugere peccata debet, et, ut præcipit apostolus, ab omni specie peccati abstinere, I. Thess. V. *Ab omni specie mala abstinetis vos.* Præsertim autem fugere debet ea, quæ fidei contraria sunt, uti hæreticorum communio nem. Docemur hoc ab ansere, qui nec lauri folia, ne quidem fame pressus attingit, Pierio, lib. XXIV. hierogli. teste, nec rododaphnem etiam vi adhibita edit, cum intelligat, si quid tale degustet, sibi moriendum, chenomychon etiam herbam a primo prospectu fugit, teste Plinio, lib. XXI. cap. XI. Idem Christiano faciendum juxta Sapientis dictum: *Quasi a facie colubri fuge peccatum*, Eccl. XXI. Stupidum animal reputatur anser: sed utinam nos homines non essemus stupidiores. An nescimus illud: *Anima, quæ peccaverit, ipsa monietur?* Ezech. XVIII. et: *Qui fa-*

## IN FESTO SANCTI MARTINI

*ciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt nimæ suæ?* Tob. XII. Cave igitur peccatum; cave ne edas carnes tempore, jejuniæ, aut potu nimio te inebries, quia venena sunt. Cyrus, apud Xenophonem, monitus ab Astyage exhaustire vinum, renuit, dicens se metuere, ne sibi venena mixta forent, quod vidisset Astyagem nuper in natalitiis suis, propinasse amicis suis similia venena: *Et quo pacto, inquit ille, o fili hoc dignovisti. Quod videbam, inquit, vos, neque corporis esse neque mentis compotes*, Xenoph. in Cyropaedia. Ecce tibi anserem talen S. Martinum. Hinc enim, ut communioni Ithacianorum in ordinatione unius episcopi subscriberet, nulla vi adigi poterat, tametsi in eam ordinationem consenserat maxima necessitate compulsus, ut nimur hoc pacto eriperet a cæde jam patranda innocentes, Baron. anno 386.

III. Christianus vitam asperam sectari et intrare per angustum mortificationis portam debet; quia a Christo audit: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam.* Audi S. Basilium, in regulis, reg. XVII.

« Ut optimus corporis habitus, inquit, et corporis bonitas pugilem a cæteris distinguit; sic Christianum a cæteris discernit macilenta corporis pallorque delorescens, qui continentæ velut adjunctus est comes; indicio est enim Christi mandatorum vere pugilem esse, qui infirmitate corporis adversarium suum in lucta prosternit. » Talis pugil fuit apostolus, I. Corin. IX. qui ait: *Sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Debet ergo Christianus non solum illicitas sibi voluptates interdicere, sed etiam castigare corpus suum et in servitutem redigere cum apostolo. Ecce tibi anser absque stramento super nuda humo recubat: ad hæc plumis quidem externe vestitus est, ad cutem tamen cuspidem pennarum, quasi ciliatum aliquod gerit. Sic et S. Martinus veste tam hispida indutus erat, ut ejus aspectu equi expavescit refugerent. In suo vero quod extruxerat monasterio jam episcopus, cum octoginta discipulis in multa abstinentia vixit: ubi vinum nemo biberat, nisi quem infirmitas coegisset: mollior habitus pro crimine erat, ut habeatur in ejus vita. Idem cum in quamdam villam suæ diæcessis venisset, et clerici lectum ei de stramine præparassent, stramentum omne removit, quod in cilio tantum et super nuda humo cubare consuevisset. Moriens in cinerem deponi voluit, et cum discipuli tunc ei stramen supponere vellent, respuit, dicens: *Non decet, filii, Christianum, nisi in cinere et cilio mori. Ego si vobis aliud exemplum reliqui, ipse peccavi.* Proh, auditores, quorums

nos devenimus, qui tam longe absimus ab hoc viro? Quam bene canit Ecclesia de ipso: *O virum ineffabilem!*

IV. Christianum decet refrænare linguam: *Qui enim vult vitam diligere*, ait Sanctus Petrus, I. Petr. II. et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, quod ex psalmo desumpsit. Ecce tibi doctorem anserem, qui tametsi alioqui streperum animal est, scit tamen et tacere cum est opportunum. Taurum enim montem transmissiri anseres, singuli aquilarum metu mordicus ore lapillum tenent, ut ne clangorem, quo prodantur, edant: hoc ergo, quasi fræno sibi injecto, secure pergunt et fallunt aquilas, Pierius, lib. XXIV. hierogl.

Quid aliud ergo anser docet, quam quod propheta Isaías, c. XXX. docuit: *Si quiescatis, salvi eritis?* Et quod angelus Arsenium docuit: *Si vis esse salvis, fuge, tace, quiesce?* Et en tibi magistrum alterum, Martinum nostrum, qui silentio tulit calumnias et injuras Brichti discipuli sui, lib. III. dial. cap. XX. Idem cum aliquando milites obvii (quorum equos Martini aspectu territos paulo ante diximus) verba ei infligerent, ne verbo quidem se prodidit, sed veluti mutus cædentesibus tergum præbuit; et hac ratione vitor evasit. Nam protinus eo loco consistere eorum equi velut saxei cœperunt, nec ullo modo propelli poterant, donec miseri crimen suum agnoscentes, ad pedes sancti accederent, et veniam a læso paterent.

Ita nimur Deus; si cum silentio feramus injurias, pro nobis loqueretur et pugnabit, melius quam nos possumus. Vin addam tertium hujus rei magistrum? Agatho monachus, quo custodiret linguam suam, per triennium gestavit in ore lapidem.

Hoc documentum quam salutare foret mulieribus garris alioquin instar anserum? Quam sæpe aquilarum, id est, meritorum suorum unguis hoc medio evadere possent? Experta est illa, quam ferunt edoctam, ut tonante marito, aquam interim ore contineret, donec ira viri deferibusset. Effugit enim viri verbera, non aquæ, sed silentii beneficio. Aristoteles libro I. decon. c. VI. claudi vult portam domus. Quid autem aliud os, quam domus nostræ ostium, cuius lingua custos est et ancilla ostiaria? Ergo sicut domus illa inquieta et immunda est, cuius ostium semper patet; ita et anima viri loquacis.

V. Christianum decet vigilare contra insidias dæmonis, mundi et carnis. Unde Ecclesia quotidie nos admonet in completorio verbis illis Sancti Petri, epist. I. c. VIII. *Frates sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo*

## CONCIO VII.

*rugiens circuit, quærens quem devoret. Id ipsum toties nobis inculcat Dominus, Matth. XXIV. Vigilate ergo, ait, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit: illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam, etc. At qui hoc idem docet anser, qui etiam nocte vigilat, et excubias agit easque clangoris assiduitate testatur: hominis accessum mox advertit et prætimore exclamat.*

Hinc olim Gallis Capitolium occupaturis stri-dore suo Romanos excitarunt dormientes sieque defenderunt, unde in perpetuum alimeta eis decreta fuerint. Ita nimur Christianus semper pavidus esse debet et contra hostium suorum insidias sedulo vigilare, adventantes objurgare, iisque ingruentibus ad Deum exclamare et opem implo-rare; alioqui censemur cum hoste consentire. Hinc Deut. XXII. præcipit Deus puellam alteri despontam, quæ cum esset in civitate et ab alio violaretur, non clamavit, lapidibus obrue-re: quia nimur censemur stupro consensisse. Pari modo, qui, cum advertit insidiantem sibi tentationem, non exclamat ad Deum per orationem, non prodit eam, nec resistit illi, censemur ei consentire et peccati reus est. Sic exclamavit Susanna contra senes vim sibi allatu-ros, Daniel XIII. sic exclamavit S. Bernard. contra mulierem im-pudicam in lecto sibi insidiantem: *Latrones, latrones*, ut in ejus vita: S. Martinus velut anser vigilantissimus insidiantem sibi dæmonem facile sensit et agnoscit hostem, licet fucata sibi apparentem forma; aliquando cum se dæmon Christum esse diceret regio adornatus habitu; Martinus contra: *Dominus Jesus Christus*, inquit, non se purpuratum, nec diademate nitentem venturum esse prædictum. Eumdem cum moriturus adstantem cerneret: *Quid hic adstas, inquit, cruenta bestia, nihil in me funesti reperies*. Docuit etiam suos vi-tare insidias dæmonis. Cum enim aliquando cerneret mergulos in flumine piscibus insidiantes et captos devorantes: *Forma, inquit, hæc est dæmonum. Insidiantur incauti, capiunt nescientes, captos devorant, saturari nequeunt devorant*. Ergo vi-gila primo, sicut custos vineæ, super animam et conscientiam tuam, ne quis eam diripiatur: secun-do, sicut pastor super quinque sensus tuos, ne evagentur, et luporum præda fiant: tertio, sicut miles excubans contra hostes, super futura dis-crmina, diaboli, mortis, judicii et inferni.

VI. Christianum decet, si quem unquam, dilec-tio proximi et misericordia erga afflictos: *In hoc cognoscere omnes*, ait Dominus, Joan. XIII. quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invi-cem. Qualis autem ea dilectio esse debet, ostendit

Joannes, epist. I. cap. III. dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere veritate, id est, operibus misericordie et charitatis. Hujus rei magistrum vultis? Ecce vobis anserem. Nam primo, ipse singulis annis partitur vestem suam cum hominibus, plumas videlicet sibi non necessarias. Deinde, qui ex illis firmiores sunt adjuvant imbelliores: Fessi proferuntur ad primas*, ait Plin. lib. X. cap. XXII. ita ceteri stipatione naturali propellunt eos. Et quid Martinus fecit, si hoc idem non fecit? Nonne cum mendico, cum aliud non haberet, pallium suum divisit? Nonne longo itinere ad parentes suos abiit, ut hos adhuc gentiles converteret, et quodammodo ad viam salutis proppelleret? Nonne omnes penitentes et oppressos in suum recipiebat sinum, ipsum etiam diabolum recepturus, si penitentiam agere voluisset?

VII. Christianus Deo devotus ac pius esse debet, et subinde in eum mentem erigendo, per orationem, contemplationem, ac gratiarum actionem, juxta id Ps. CXII. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis; ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*. Docet etiam hoc anser, qui subinde dum bibit præsertim, et oculos et caput ad cœlum elevat. Et sic faciebat S. Martinus, subinde inter opera et lectionem orabat, veluti faber malleo percutiens incudem, ut in ejus vita Sulpitius ait, de quo canit Ecclesia: *Oculis et manibus in cælum semper, intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat*. Cumque æger supinus semper jaceret, rogatus a discipulis, ut vultum aliquando verteret: *Sinite me, inquit, fratres sinite, cælum potius respicere quam terram, ut spiritus ad Dominum dirigatur*. Ob quam causam suspeçtū cœli vocatus est.

Primo, ergo in cœlum suspicere debemus per orationem, cum animo augustiamur, vel in dis- crimine versamur: ita Susanna injuste ad mortem condemnata: *Flens suspirit in cœlum*, Daniel XIII. Unde et audita ac liberata est.

Secundo, per gratiarum actionem, cum aliquod beneficium a Deo accepimus, ut cum edimus, bibimus, etc. sic enim anser dum bibit subinde ad cœlum oculos tollit.

Tertio, per desiderium cœlestis patriæ. Hic igitur anser est, quem hodie comedere Christiani deberemus; qui si non implet ventrem, implet tamen mentem. Aique isthac ratio est venerandi Sanctum Martinum, si nimur ipsum imitari studeamus; quod nobis impertiat Deus optimus maximus.

## IN FESTO SANCTI MARTINI.

## CONCIO VIII.

## ANSERES NE SIMUS.

I. *Animal stolidum. — II. Streperum. — III. Bibulum. — IV. Pigrum. — V. Noxiūm. — VI. Infelix.*

## THEMA.

*Vide ergo lumen, quod in te est, ne tenebræ sint.*  
Luc. XI.

Ante annum monui, auditores, ut anserem co-mederetis, immo anseres essetis; sed hoc anno vertere stylum debeo et serio vos monere anserem nec edatis, seu ut anseres ne sitis. Quantum enim boni in hac ave deprehendi ante annum, tantum nunc in eadem deprehendo mali. Moveor autem imprimis illis Christi verbis: *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*. Lumen enim quod est et esse debet in homine, lumen intellectus et rationis est, secundum quod ad imaginem Dei creata est, juxta id Psal. IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Cujus luminis defectus in brutis, quid est, nisi tenebra? Dum igitur monet Dominus ne lumen rationis in nobis obfuscemus, simul etiam monet ne ex hominibus ratione utentibus in bellus degeneremus, quæ lumine intellectus carent. Unde satis perspicimus, anseres nos esse minime debere. Qua ratione audi- mus.

I. Anser est animal stolidum, scribit enim Plin. de anseribus, lib. X. cap. XXXIX. *Appren-sa radice morsu sæpe conantes avellere, ante collum sua abrumpunt*. Hujusmodi vero anseres, quis neget esse eos, qui proprio sensui et judicio pertinaciter adhærent, et prius sibi collum abrumpi patiuntur, quam in aliorem saniorum sententiam eant; verissimus anser Joan. Hussus (Hus enim Bohemice sonat anserem, qui in Concilio Constantiensi catholica fidei dogmata tum fundata et solidata evellere conatus contra tot patrum unanimem sensum, tribus præsertim Wiclephi jam damnati articulis, pertinaciter adhæsit, scilicet: « Silvester papa et Constantinus imperator erraverunt, quod opibus dotaverunt Ecclesiam: si papa aut sacerdos mortali sit obstrictus peccato, non ordinat, non consecrat, non baptizat: item decimæ sunt puræ elemosynæ. ») Hos articulos antequam ejuraret in rogo assari voluit, Flori-mund, Raymund. de orig. hæres. lib. IV. cap. III. Cui tam sunt similes alii hæretici, quam ovum ovo, anser anseri similis est. Quibus et illi accedunt, qui ex odio vel invidia stimulati proximum suum eradicare ex aliqua communitate, vel ad stipem redigere totis viribus nituntur; qui ta-

men sæpe prius colla sua abrumpunt, semetipsos exauriendo, vel morte præveniente perdunt col-lum suum, quam voto suo potantur. Exempli sunt Judæi, qui Christum e vita et hominum memoria eradere, prorsusque eradicare conati sunt variis artibus, juxta id Jerem. XI. *Eradanus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoriatur amplius*, ipsi tamen potius erasi et eradicati sunt e terra, et per orbem totum dispersi. Similiter et Aman, qui nihil se habere existimabat, tametsi gloria et divitiis auctus esset, nisi Mardochæum et cum ipso gentem Hebræorum totam funditus eradicasset e regnis Assueri: ipsi tamen prius collum laqueo ruptum est, Esth. VII. His adnumerari possunt, qui protitandi assiduitate et imprimis haustibus immodicis et pene inexhaustis colla sibi abrumpunt, valetudinem inquam et vitam. Omnes denique qui certis peccatis perſina-citer adhærent, et potius patiuntur animæ sue detrimentum quam ut iniquum lucrum, vindictæ appetitum, odium vel aliud vitium in corde suo radicatum dimittant. O insaniam! Malle collum suum rumpere et animam suam perdere, quam vilissimam radicem deserere! Deinde, anseres tam sunt stolidi, ut ingredientes per alta licet ostia, qua currus alioqui onusti facile ingrediuntur, capita inclinent, quasi periculum fore ne impingerent, si erecti ingredierentur. Stultitia hæc illorum est, qui cavent ne infernum, qua utique lata porta est, non secure ingrediantur, dum peccata sua studiose tegunt, adeoque se humiliant per hypocrisin vel mendacia coram confessario, ne si aperte et sincere cum ipso agant, ab inferni ostio repellantur.

II. Est animal streperum. Suum enim anseres gaga perpetuo ingeminant, accedentes ad se clangore produnt, et cum quid novi vident magnis simul vocibus exclamant neconon prætereuntes sibilis repetunt. Anseres ergo sunt loquaculi, qui ostendunt primo parum mentis se habere: *Ut enim vascula inania maxime tinniunt, ita quibus minimum inest mentis et crisis, hi sunt loquacissimi*, ait Ausonius. Unde fit ut garrulorum sermones fere aliud non sint, quam gaga seu anserini et futilis, insipidi et molesti, ut videre est comprimis in mulieribus, que minus habent. Neque enim frustra dicitur, tres anseres, tres ranas, et tres mulieres facere nundinas. Deinde, ostendunt se parum Christianos juxta id apostoli Jac. cap. I. *Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, hujus vana est religio*. Tum quia lingua, quæ ad Dei laudem ei data est, abutitur ad vana, turpia, detractoria, mendacia, execratoria, blasphemæ, et injuriosa verba, que ex ore garruli prodire sæpe necesse est: *In multilo-*

*quo enim non deerit peccatum*, ait Sapiens, Proverb. X. Nihil novi contingit, quod ipsi non audiant, et suis glossis explicent, carpant, proclament; nemo eos transit, quem non sibilo suo appetant. Tum quia per linguam prodit suam religionem esse inanem. Hinc Sanctus Petrus, apud Clemensem, epist. I. ad Jacobum Alphæi apostolum, crebro prædicavit Christianis, ut os et linguam sedulo custodirent ac moderarentur.

Siquidem ex lingua veluti ex porta videtur quis in domo sit, hoc est, an sanctitas vel vanitas, an Deus vel diabolus sit in mente hominis.

III. Est animal bibulum, quod semper immergere aquis rostrum, et innatare amat. Hujusmodi autem potatores qui toti sunt in poculis at propemodum natant, dum mero perfundant barbam, vestem, mensam; dum diu noctuque potitant, et cum dormiunt, potum somniant, de quibus Isaiae V. dicitur: *Vix, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Quod unus anser facit, faciunt et alii: uno flumen intrante, intrant et alii: et quod agunt vetuli, agunt et juvenculi. Similiter potatores alii alias sectantur ad tabernas ut filii parentes. Anseres incedendo vacillant de uno latere in aliud, similiter potatores. Unde Psalm. CVI. dicitur: *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrios, et omnis sapientia eorum devorata est.* Miranda res profecto: devorarunt illi, ut ita dicam, vinum, et vicissim vinum devoravit eorum mentem et sapientiam. Stupidi sunt anseres; squidem quieti sedent nec ullenatus perturbantur, cum ad tumultus ciendos campanæ quauntur: ita et potatores nihil curant coeli tonitrua, Dei comminantis voces, concionatorum fulmina, etc. sed immoti consentanei surdi ad has voces. Anseres cum a canibus forsitan exagitantur, præcipiti violatu ad aquas se recipiunt, et ibi magnis clangoribus quasi in tuto positi canibus obstreput atque illidunt. Prorsus ita bibuli cum exagitantur a concionatoribus, vel uxorum objurgationibus, vel etiam adversa fortuna, non alio se recipiunt, præterquam ad tabernas et compotaciones, ubi irrident et traducunt concionatores, uxores et quoscumque pios, a quibus objurgati sunt. Dicitur etiam anser durante pluvia et tempestate uno oculo cœlum, altero rivum contemplari in quo sedet. Pari modo potatores, dum forte in templo, sub missa vel concione, uno (si sors ferat) oculo ad ea quæ fiunt vel discuntur, attendunt: altero sunt in patinis et poculis, secum ratiocinantes, ubi et qua ratione diem Baccho dicare velint. Verum utinam unum oculum dejicerent ad infernum contemplandis bibulorum pœnis, alterum ad cœlum attollerent contemplandis abstinentium

gaudiis, quamque illi vicini, ab hoc autem remoti sint.

IV. Est avis pigra et iners; squidem diu alte volare nequit, et si aliquantulum volat, mole tamen corporis prægravata mox iterum terram petit, quamvis inter volatum magnis clamoribus perstrepant, quasi rem mirandam præstet. Habeamus hic imaginem hominum carnalium, qui carnis mole pressi, vix unquam se attollere ad desiderium et contemplationem rerum cœlestium possunt: quidquid enim sacrum est, insipidum illis et molestum est: ac si forsan aliquando occurrente solemni festo attollere se videntur, per confessionem et communionem, mox tamen iterum recidunt in pristinam conversationem. Et tamen interim si vel unam aliquando audiant missam, mox strepere incipiunt passimque velut rem magnam jactant. Deinde, anser sua tantum ova incubat et excludit, non aliena, etiam aliorum anserum unde sua cuique ova insignari debent si excludenda ab illis sint, Pier. libro XXIV. Plin. libro X. cap. LIX. Multi ejusmodi divites, qui suos tantum ditant, invitant, promovent, extollunt: alienos, pauperes præsertim negligunt, et domo sua ejiciunt: multi ejusmodi magistratus, qui suorum querelas cito audiunt, calumnias mox depellunt, gravamina sedulo amoluntur; alienorum vero causas differunt audire, multo magis expedire: multi ejusmodi avari et raptore et usurarii, qui instar Judæorum usuras non a suis, sed ab alienis tantum capiunt, alienos tantum spoliant.

V. Est animal noxiun pratis et agris; stercore enim suo vitiat et adulit olera et herbas, Pier. loc. cit. Faciunt hoc idem, qui vite sua impuritate et publicis sceleribus toti communitati non modo exemplum malum præbent et offendiculum ponunt, sed etiam labem aspergunt. Quare sicut anseres propter illud vitium suum multis locis eliminantur: ita nullibi prorsus tolerari deberent, qui pravis suis exemplis alios seducunt, et communitati probrum incurrunt. Scimus enim propter unius Achan sacrilegium Deum toti Hebreorum populo infensum redditum, nec placatum donec Achan contritus omniumque manibus lapidatus esset, Judic. VII. scimus apostolum jussisse tolli de medio Corinthiorum incestuosum, qui uxorem fratris habuit, eo argumento: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* 1. Corinth. V. Quare si unius aut plurium scelus viorem virtutis demet in aliis, utique et medio tollendi sunt: *Ut in oculum*, inquit Salvianus, l. VII. de prudentia, etiam si parva sorde incidat, totum lumen obsecat: *sic in ecclesiastico corpore etiam si pauci sordida faciant, prope totum*

*ecclesiastici splendoris lumen offuscatur.* Eadem ratio de politico corpore. Deinde, non ut alia pecora, morsu amputat herbas, sed avellit impetu, unde radices quoque herbarum sæpe extrahit; quod non faciunt alia pecora. Et qui sunt isti, qui instar anserum herbas vellunt, nonne qui cum damno proximi, et in prejudicium aliorum ac totius communis lucra sua querunt et victim?

Aliud est depascere herbas, aliud sic avellere; illud reliquit in terra radicem iterum germinatram aliis pecoribus, istud vero excindit. Quare nocentissimi in communitate anseres sunt usurarii et qui mercimonia omnia ad se trahunt, et aliis pastum seu victimum quasi vi eripiunt, proinde nec tolerandi.

VI. Est avis quodammodo infelix, squidem post saginam unius mensis in obscuro aviario perceptam, mactatur ad Martinalia, et assatur in veru vel olla. Quandoque etiam contigit, ut dum spicam in ore gestans extento collo incedit gestiens, velut extra omne periculum sit, miles retro accedit et collum ei gladio resecet. Idem contigit tandem malis his anseribus quos recensuimus. Saginantur enim modico tempore in hoc tenebricoso mundo quasi in aviario, neconon in obscuro peccati statu, ubi miseri existimabant se bono loco esse, adeoque in sua patria: verum ubi tandem expleverunt dies vite sua in senio scilicet, velut in Martinalibus, venit mors et insigta eis spiculum suum. Quandoque etiam cum extento collo incedunt saturati, et aucti frugibus et opibus, quasi dies bonos primum incepturi, et bonis suis gavisuri, tum repente et inexpectato invadit eos miles ille, qui gladio suo omnia sternit, quique ait Deuter. XXXII. *Gladius meus devorabit carnes.* Hujusmodi erat dives ille apud Lucam, cap. XII. qui plurimis auctus frugibus, dicebat animæ sue: *Animæ habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comedie, bibe, epulare.* Sed vide militem retro sequentem, dixit autem illi Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti cuius erunt?* Quibus verbis indicatur triplex hujus divitiarum stultitia et triplex miseria eam consequens.

Prima stultitia est, quod promiserit sibi plurimos annos vitamque diuturnam, quodque tota

ea facturus esset, certe definierit, quasi hoc ab ipsius tantum, et non Dei voluntate dependerit. Secunda, quod præterea pollicitus sibi sit dies bonos, sanitatem et voluptatem: *Requiesce, comedie, bibe, epulare*, quasi haec bona nunquam ipsum defectura essent, cum tamen a manu Dei prodeant, ab eaque retrahi pro libito possint. Tertio, quod animæ sue de bonis temporalibus ad vitam reliquam commode transigendam spectantibus sedulo prospexerit; eidem tamen de bonis ad vitam æternam pertinentibus minime providerit; quæ sane ingens stultitia est, paucorum annorum famem sollicite avertere: famem vero æternam minime amoliri. Triplicem hanc stultitiam triplici clava seu virga castigavit Deus. Primo enim, ait, moriturum eum hac nocte, id est, repente et improviso, qui sibi annos plurimos et certos definerat: secundo, repetendam ab illo animam, hoc est, moriturum coacte et violenter, ut qui ab epulis voluptatibus suis per vim abstractus sit: tertio, bona, quæ preparavit, nihil ei profutura, sed incertis hæredibus relinqua; imo et animam (quod summum et maximum) ipsius in potestate dæmonum futuram. Quare sicut anser dum saginaretur nequaquam sibi comedit, sed aliis: et plumas quidem nutrit hominibus, ut in iis dormirent carnem vero coquere et igni ac dentibus convivarum, ita, qui voluptatibus hujus sæculi perfruuntur et impinguant se divitiis, plumas divitiarum nutrit hæredibus, corpus vero veribus, animam gehennæ et dæmonibus, qui eam assabunt et lanabunt. Fateor ex naturæ instituto pecora tantum mactari, pecora tantum assari debent: hominem mactari et assari contra naturam est, et contra institutum Dei; verum si ut homo vivat, secundum rationem. Ubi vero in belluam degenerat, quid mirum si et homo velut aliæ belluæ mactetur et assetur; itaque sapiamus, queso, illius viri malo. Audiamus Davidem, Psal. XXXI. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Pari ratione dixisset: *Nolite fieri sicut anseres, qui et ipsi carent lumine intellectus.* Quæ conventio luci ad tenebras? Homini ad bestias? Ne ergo cum bestiis mactemur, vivamus cum hominibus.